

berg

3

19

xxv.

(25)

1928 K 944

L 3, 23

27

ORATIO ACADEMICA
DE
P R I N C I P V M
E L . S A X O N I A E
MERITIS IN REM LITERARIAM
X X X I
M A G I S T R O R V M P H I L O S O P H I A E
REVNCIATIONI
D. XXIX. APR. A. 1000 XVIII
PRAEMISSA
A
I O H A N N E G V I L I E L M O I A N O
HIST. P. P. ET COLLEGII PHILOS. DECANO
VITEMBERGAE
IMPENSIS VIDVAE GERDESIANAE

1719

ORATIO ACADEMICA
DE
P R I N C I P A M
EL SAXONIAE
MERITIS IN REI LITERARIA M
XXXI
MAGISTERIUS ET PHILOSOPHIE
REUNIONE
D. XXX. APR. A. 1622 XAVII
PRÆM. 122A
JOHANNES GALLIUS FLO JANO
HIST. E. B. ET CORRIGEN. PHILOS. DEGENS
NATURALE
IMPERIALIS UNIVERSITATIS GERMANIANAE

VIRIS AC IVVENIBVS
VIRTUTE INGENIO ET DOCTRINA
FLORENTISSIMIS PARTIM ETIAM DIGNITATE
MVNERVM REVERENDIS

BENIAMINO HOFFMANNO, Vratislauensi Silesio
HERMANNO ANTONIO ROHNIO, Lubecensi
IOHANNI CHRISTIANO LVDVVIGIO,
Cizensi-Misnico
HENRICO ANDREAE TOEPFFERO, Baruthensi
Saxoni
FRIDRICO GVILIELMO BVRCKARDO,
Iohann-Georgen-Stadensi Mis.
IOHANNI EHRENFRIDO SILLIGIO, Haynensi
Misnico
DAVIDI LAVPIZIO, Svidnicensi Silesio
CHRISTIANO FRIDERICO KOCHIO, Pastori
Breitenbrunnensi
GOTTFRIDO SAMVELI SEYFRIDO, Freyber-
gensi Misnico
IOHANNI FRIDERICO CALEZKIO, Cosviga-
Anhaltino
DANIELI OELSNERO, Vratislauensi Silesio
IOHANNI HENRICO TEVBERO, Rectori Scho-
lae Euang. Saganensis
GOTTFRIDO GVILIELMO MULLERO, Pastori
Stragensi
EHRENFRIDO IEREMIAE ROLLERO, Pastori
VVolfsdorffensi
IOHANNI GOTTLARIO MEINERO, Diacono
Brugensi

JOHANNI ANDREAE CHEMNITIO, Pastori
Substituto Luttensi
JOHANNI GOTTLIBIO MEDICIO, vocato Scho-
lae Gommeranae Rectori
JOHANNI CHRISTOPHORO IANO, Auensi-Misnico
JOHANNI HENRICO REPHVNIO, Langenbreitenba-
censi - Misnico
DAVIDI MEHNERO, VValheimio - Misnico
GOTTFRIDO DAVID, Vratislauensi Silesio
CHRISTIANO HOFFMANNO, Vratislauensi Silesio
JOHANNI GVILIELMO HICKIO, Oringa-Franco
DAVIDI GVTSCPIO, Vratislauensi Silesio
CHRISTOPHORO GOTTFRIDO HASSIO, Niederbo-
brizensi Misnico
JOHANNI LEVCHTERO, Vratislauensi Silesio
CAROLO CHRISTIANO BEHMIO, Sedinensi Pomer.
GOTTFRIDO OBSTIO, Glogauensi Silesio
BERNHARDO VVINCKLERO, Vratislauensi Silesio
JOHANNI FRIDERICO MICHAELIS, VVittenbergensi
JOHANNI FRIDERICO FRANCKIO, Bredenfelda-Me-
gapolitano

**PHILOSOPHIAE AC BONARVM ARTIVM
MAGISTRIS
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
AVCTORITATE PVBLICA A SE RENVNCIATIS
ORATIONEM HANC OFFERT
ET NOVOS HONORES FELICES FAVSTOSQUE
PRECATVR**

IOH. GVILIELMVS IANVS
RECTOR

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE
PATRES CONSCRIPTI
GIVES AC HOSPITES
ET QVOTQVOT ADESTIS AUDITORES O. O.
HONORATISSIMI



Et haec bonarum artium ac literarum condicio, ut quantum ex magnorum Principum fauore patrocinoque incrementi capiunt, tantum illis uicissim ornamenti afferrant, et ad recte constituendas firmandasque reipublicae rationes adiumenti praestent. Nam si omnia circumspiciamus, quibus aut salus publica, aut priuatae singulorum fortunae et commoditates uitiae continentur, nihil facile reperiemus, quod non a liberalis doctrinae studiis praesidium aliquod, uel decus saltrem insigne, mutuetur. Primum et sanctissimum ciuitatis vinculum est religio, quae ut animos D E O deuincit, et summa perpetuaque felicitate beat, ita non

minus homines magistratui morigeros reddit, multo-
que efficacius, quam omnium suppliciorum metus, in
officio continet, et a legum uiolatione deterret. At
nemo, literarum rudis, aut diuina oracula, e quibus illa
haurienda est, recte interpretabitur, aut sanioris doctri-
nae integritatem tuebitur, aut profanorum hominum
calumnias et corruptelas retunderet. Ut porro iusti-
tia uigeat, ut eius praesidio singulorum ciuium bona
ab improborum iniuriis defendantur, atque in tuto col-
locentur, ut aequabili omnes iure gaudeant, ut prae-
clara instituta, a maioribus tradita, conseruentur, et re-
cte exposita ad posteros perueniant, non proletaria
quaedam et elegantioris doctrinae expers, sed solida et
erudita legum scientia praefat. Quid dicam de me-
dicina, mechanica, re nautica, ceterisque artibus ad
uitae humanae conseruationem et utilitatem pertinen-
tibus? cum ipse rei militaris usus, quantumcunque a
tranquilla Musarum indole abhorrire videatur, inge-
niosis illarum inuentis plurimum semper adiutus atque
amplificatus fuerit. Tantum certe abest, ut liberalis
doctrina effoeminet animos, aut bellicae virtuti ineptos
reddat, ut eosdem et doctissimos viros, et fortissimos
belli duces fuisse, reperiamus. Exemplo sit nobile il-
lud par Imperatorum, Alexander Magnus, et Iulius Cae-
sar, dictator, alter Aristotelis in philosophia discipulus,
alter Ciceronis in dicendc riuialis: aut, si quis requirat potius
literatos, qui in claros Imperatores euaserunt, quam
Imperatores, qui insigniter docti fuerunt, praesto est Epa-
minondas, Thebanus, aut Xenophon, Atheniensis, quo-
rum ille primus fuit, qui fregit potentiam Spartanorum,
hic autem primus, qui uiam strauit ad euersionem regni
Persarum. Itaque eadem tempora, quibus Aegyptii quon-
dam,

dam, Assyrii, Persae, maxime vero Graeci et Romani, flor-
-rentissima habuerunt imperia, etiam literis plurimum fu-
-erunt nobilitata: quo factum est, ut praeclarissimis qui-
-busque rebus gestis praestantissimi quoque scriptores
-contingent, et quae ad omnem posteritatis memo-
-riam maxime insignia erant, elegantissimis etiam mo-
-numentis ad illam transtitterentur. Contra ea, ubi li-
-terae obdormierunt, publica plerumque felicitas
-una occidit. Consideremus, exempli causa, in Im-
-perio Germanico, barbara illa medii aei secula, quo-
-rum scripta spinosa, horrida, inculta, raucum et
-agreste sonant, quorum aedificia Gothicam rudita-
-tem, inepte laboriosam, produnt, quorum deformes
-picturae et imagines, tabulis, vel nummis impressae,
-nihil politum, nihil arte uel ingenio elaboratum refe-
-runt; annon eadem secula mores etiam corruptissimos
-habuerunt, et bonae frugis sterilia, atque adeo uere
-barbara, ferrea et plumbea fuerunt? Tunc nimirum
-error et supersticio cum literis religionem ipsam sup-
-pressit, sacra contaminauit, diuina humanaque iura per-
-uerit, et Pontificum Rom. libidini prostituit, qui hu-
-tu suo subditos a legitimo magistratu disiunixerunt, bel-
-la ciuilia excitarunt, et in primis communem patriam no-
-stram, militia insuper sacra, quam cruciatam uulgo
-uocant, confilio stolidiori, nescio, an infeliori euenu-
-suscepta, exhaustam, prorsus tandem ad *avagxiav* et
-uastitatem redegerunt. Quod si hodierna etiam regna
-atque imperia inter se comparare uelimus, politissima
-quaeque, et literis cultissima maxima felicitate, potentia,
-et ipsius rei militaris gloria florere, contra ubi barba-
-ries et infiditia regnant, nec suam magistratu auctori-
-tatem, nec ciuibus securitatem, neque repl. ordinem et
-tranquil-

tranquillitatem satis constare, animaduertimus. Et
sicut olim Graecia, Musarum sedes, tam exiguis con-
clusa finibus, uasto Persarum imperio non tantum par-
fuit, sed finem quoque et interitum attulit; sic no-
stra etiam aetas innumerabiles prope barbarorum copias,
non numero, sed uirtute cultiorum gentium, superatas
profligatasque uidit. Non igitur in postremis Saxo-
niae nostrae bonis numerandum uidetur literarum de-
cus, quod inde ab aliquot seculis illa sibi afferuit, et,
quaे DEI immortalis gratia est, adhuc illibatum con-
seruat. Neque enim dissimulandum est, quod, si quam
habet Germania doctrinae laudem, in huius partem illa
cumprimis ueniat, imo ceteris etiam Imperii Ger-
manici prouinciis hoc nomine antecellat. Quan-
to autem praestantius hoc beneficium est, tanto maio-
rem laudem meretur eorum, qui his terris praefuer-
unt, in prouehendis bonarum artium studiis, cura et
munificentia, cui, si a D E O immortali discesseris, il-
lud omne acceptum referimus. Quare nihil hoc loco
et instituto alienum me suscepturnum, puto, si illorum
memoriam pie recolere, atque adeo merita Principum,
praecipue Electorum Saxoniorum, in rem literariam,
non quidem pro dignitate laudare, sed aliquo saltē
modo adumbrare, et summatim recensere ingrediar.
De his ergo breuiter strictimque dicturo, ut Rector
Magnificus, Patres C. ceterique Auditores omnium Ord.
honoratisimi aequas et beneuolas aures praebeant,
qua par est obseruantia et humanitate contendo.
Longum esset, neque temporis huius angustia, qua
conclusi sumus, permitteret, singulorum Principum
Saxoniorum in bonas literas merita sigillatim perse-
qui. Quare satis habebimus, praecipua saltē summa-
tim

tim attigisse, ea potissimum, quae, a Septemviris Imperii gentis Misnensis profecta, aut liberalis doctrinae in his regionibus fundamenta iecerunt, aut insigne aliquod incrementum illis attulerunt. In his primo loco mihi commemorandus est FRIDERICVS, cognomine BELLICOSVS, dextra illa Imperii Germanici, sago, dubium, an toga illustrior, qui tertio abhinc seculo Principis VIIuiri dignitatem gentilitiis ornamentiis primum addidit, atque adeo auspiciatissimum futurae magnitudinis omen cepit. Hic tantus heros Musas, Bohemia emigrantes, quasi humeris suis in Misniam intulit, et liberali hospitio exceptit, et praemiis amplissimis retentas Lipsiae, quasi in stabili et mansura sede, collocavit: a quo tempore ciuitas illa non magis aliarum rerum commerciis, quam bonarum artium mercatura floruit, atque adeo re ipsa meruit, ut ingeniorum palaestra, sapientiae domus, omnis elegantiae compendium, ciuitatum ditionis Saxonicae lumen ac decus appellaretur.

Quibus uero laudibus te celebrabimus, quibus studiis, officiisque nominis tui memoriam digne fatis uenerabimur, FRIDERICE III, primi e gente tua Principis VIIuiri pronepos, et virtutum pariter ac terrarum heres, qui singulari erga DEVM pietate, erga omnes aequitate et iustitia, prudentia, consiliique copia, id consecutus es, ut iam tua aetate legum defensor, consiliorum thesaurus, morum speculum, Imperii Rom. columen, iure tuo, uocareris, et sapientis elogio, quasi proprio, posteritati commendareris, qui oblato, sed abs te prudenter recusato, Imperii diademate, maior et illustrior fuisti, quam alii adepto! Tu, cum, pro sapientia tua, paeclare intelligeres, quantum ex literarum studiis ad rem publicam utilitatis perueniret, nihil ad memoria-

B

riam

riam nominis sui pulchrius nobis relinquere, neque maius arcii tuae, ac templo, elegantissime hic exstructis, ornamentum conciliare potuisti, quam diuinae humanaeque sapientiae delubrum cum illis coniungendo. Quod abs te maturo deliberatoque consilio destinatum, et felicissimo auspicio, imo, ut rectius dicam, singulari Numinis diuini prouidentia, dedicatum, et luculentissimis accessionibus auctum, non tuae tantum aetati profuit, sed seros etiam posteros immortali beneficio tibi deuinxit. Hoc nimirum, Auditores, ista bonae mentis officina, hoc illud uirtutis ac doctrinae domicilium est, cuius, ad hunc usque diem, tot inter temporum uicissitudines, conseruati, incolas ac ciues nos profitemur, ex quo diuina ueritas, DEI beneficio restituta, primum exsplenduit, et una cum literarum luce non Germaniam tantum, sed exteris etiam oras collustravit.

Quaecunque uero sapienter a Friderico constituta fuerant, ea singulari constantia et magnitudine animi tuenda suscepit IOA NNE S, frater illius atque successor, qui, cum in turbulenta reipublicae tempora incidisset, recte factorum conscientia fretus, nihil reformidauit, nedum statu suo se dimoueri passus est, peritos gubernatores imitatus, qui turbido etiam mari, clauum tenent, et coorta tempestate, cursum ita dirigunt, ut scopulis syrribusque caute uitatis, nauem seruent, donec in portum inuehantur. Hic tanti literas fecit, ut non ipse tantum eruditorum uirorum consuetudine delectaretur, sed et filios suos illis formandos traderet, ac diligentissime commendaret. Quod cum uitio ipsi uerteretur a nonnullis, qui uenationes, decursiones equestres, et alias huiusmodi corporis exercitationes

tiones Principe digniores iudicabant, grauiter aliquando respondit, exigui rem pretii, aut momenti esse, equum regere, uel feras persequi, uel aprum confidere, quod in lixas etiam et calones cadat: sed ut populi imperio regantur, et reipublicae saluti prospiciatur, ad id prudenter et doctorum uirorum consiliis sibi ac filiis suis opus esse.

Atque haec in bonas literas propensio ad posteros eius quasi hereditario transit. Vix enim fasces a patre sibi relictos suscepereat IO. FRIDERICVS, cum singulare illius in hac ipsa Academia documentum daret. Nam ipso anno 15 XXXIII, quo principatum inierat, urbem hanc splendido comitatu, cum Io. Ernesto, fratre, Magno, Duce Meclenburgico, Francisco, et Ernesto, Ducibus Brunsuicensibus, ingressus, disputaciones solennes, quibus Casp. Cruciger, Io. Aepinus, et Io. Bugenhagius ad summos in Theologia honores gradum sibi struebant, per aliquot horas audiuit, iisdemque, ad capessenda insignia Doctorum, sumptus praebuit, et peractis solennibus, non tantum omnes Doctores et Professores, sed etiam ciues Academicos ad conuiuum, in arce sua, regio apparatu instructum, vocauit. At multo etiam maiora propensissimae huius voluntatis suae documenta reliquit, quibus noui conditoris Academiae nostrae nomen iure promeruit. Nam anno M DXXXVI, ipsa die dominica Iubilate, cras in orbem redditura, amplissimae illius donationis tabulas dedit, quibus pagos et redditus, a Rudolpho, aliisque Electoribus Saxonics, templo O. S. olim consecratos, ad Academiam transfuerunt, nouisque accessionibus auxit, et abrogatis Canonorum titulis, certum professorum numerum constituit, et his, uacante aliquo doctoris Academicici munere, ido-

re, idoneos successores nominandi et commendandi po-
testatem fecit, ac praeter stipendia, pro illius temporis
ratione, satis luculenta, omnium tributorum et exactio-
num immunitatem concescit, denique, ut nihil omitte-
ret, quod ad augendam Academiae dignitatem pertineret,
omnium subditorum bona, siue in oppido, siue in pagis
sita, Rectoris et concilii Academic iurisdictioni subie-
cit. Idem in hac urbe Senatum Ecclesiasticum pri-
mum instituit, et quatuor Professoribus constare vo-
luit, qui de causis, iure Pontificio quondam disceptari
solitis, sententias dicerent, atque decernerent. Ac ne
hic quidem Principis optimi liberalitas substituit, sed in
aliis etiam locis sui uestigia, ad omnem posteritatis me-
moriā impressa, reliquit, quae tanta fuit, ut nec ullo
aduerso casu intercipi, nec inexspectata rerum conuer-
sione impediri posset. Cum enim, post infelicem belli
Smalcaldici exitum, Princeps ipse in Caesaris potestate
uenisset, et res Protestantium magis indies laborare,
atque in angustias redigi uiderentur, in ipsa custodia
sua de nouo religionis et bonarum artium asylo institu-
endo cogitauit, atque ad hoc Ienam delegit, amoenitate
loci, aerisque salubritate commendabilem, et filiis suis
id negotii dedit, ut suo, absensis licet, nomine ac sumtu
uiros eruditos undique conquirerent, et nouam bona-
rum artium officinam dedicarent. Cessit feliciter con-
silium, et optatis fortuna respondit, ut Musae, dissipatae
ac uagae, stabilem in Thuringia sedem inuenirent,
ipsius Imperatoris priuilegio, post multas licet difficul-
tates et tergiuersationes, confirmatam. Tertia haec est
Academia, Auditores, quae Principibus Saxoniciis ori-
ginem et incrementa debet, flore ac celebritate nulli
secunda, et prima inter eas, quae, post sacra emenda-
ta, in-

ta, inconsulto Pontifice Romano, Caesarea tantum auctoritate, constitutae sunt. Hanc Princeps religiosissimus, quasi alteram filiam, amauit, et ita in oculis tulit, ut simul ac e custodia sua reuerteretur, eam inuiseret, et praeter alia gratiae documenta, imagine sua sigillo impressa, qua hodienum illa pro insigni utitur, donaret. Quid quod nec moriturus hanc cogitationem depositus, et per tabulas testamentarias curam Academiae filii acheredibus suis ira commendauit, ut ex illius flore optima quaeque promitteret, ex neglectu autem et interitu omnia infesta ominaretur.

Et ita quidem satis Saxoniae nostrae ac dictis
nibus eo spectantibus, de Academiis prospectum erat.
Sed unum ad literarum florem et incrementa ad-
huc deesse uidebatur, scholae, puta, inferiores, in qui-
bus iuuenes ad altiora et Academica studia rite
praeparentur. Nam si quis miretur, cur in
tanto eorum, qui uulgo docti appellantur, numero,
tam pauci reperiantur, in ullo studiorum gene-
re excellentes, non errauero, si, praecipuam eius
rei causam esse, dixero, quod in prima institutione, a
qua, ut totius uitiae cursus, ita etiam studiorum ratio
pendet, paucissimis idonei praeceptrores contingent, aut
si quibus contigerint, discentes ipsi eorum disciplinam
ante diem deserant, et immaturi in Academias prosili-
ant, atque adeo male iactis fundamentis nihil firmi ac
solidi superstruere possint. Huic incommodo sapien-
ter occurrit M A V R I T I V S, primus, e propagine Du-
cum Saxoniae Albertina, Imperii Septemuir, dum tres
scholas, quas uocant, Prouinciales instituit, in quibus
non modo optimi ac eruditissimi praeceptrores honestis
stipendiis conducti, sed et plus quam ducenti pueri in-

genuarum artium studiis dediti, sumtu publico alerentur, ea lege et conditione, ut non ante sexennium, Latinarum Graecarumque literarum studiis transactum, in Academias dimitterentur. Fallor, an id unum adhuc omnium maxime ingruenti barbarie in his regionibus obstitit, et aliquem elegantioribus literis locum atque honorem conseruauit. Neque vero hoc solum est Mauritii in literas meritum; sed Academias quoque, bello dissipatas, restituit, et inter ipsos armorum strepitus turas praestitit, et nouis etiam praemiis locupletauit.

Fratrem regalis munificentiae gloria non aequauit tantum, sed longissime etiam superauit A V G V S T V S, uel nominis indicio felicitatis publicae amplifier, fausto quodam sidere, et propitio Numine, Saxoniae datus, ut eam, bellum calamitatibus afflictam, reficeret, et pristine tranquillitati restitutam pacis artibus studiisque illustraret. Prima eius cura ad religionem spectabat, quam homines, Caluini placitis clanculum addicti, labefactarant. Horum dolos ille ac fraudes, aegre tandem detectas, magna seueritate repressit, & optimis quibusque Theologis in consilium adhibitis, summo studio id egit, ut coelestis doctrinae puritas, dissensionibus et corruptelis sublatis, integra conseruaretur. Quam cordi illud fuerit optimo Principi, vel hinc intelligere licet, quod inter consultationes Theologorum ea de re institutas, in conclavi suo, flexis saepe genibus, ac supinis manibus, Deum precari consueuerit, ut illorum animos Spiritu suo regeret, nec in decernendis controuersiis aberrare, aut a ueritatis via deflectere pateretur. Effectus harum consultationum fuit Formula Concordiae, qua ad hunc usque diem pro Symbolo

con-

confessionis in doctrina et fide utimur, tanto studio
procurata, ut plus quam octoginta millia num-
mum imperialium in eam impensa fuerint. Erat ille
Augusti in rem sacram et literariam animus, ut, dum
eam iuuaret, nulli sumtus nimij ipsi uiderentur. Fru-
ctum eius hodieque percipit Saxonia, tot intellitorum
dissidiorum incommodis liberata, percipiunt sacerdo-
tum uiduae ac pupilli, quibus luculentam pecuniae
summam, quotannis distribuendam, assignauit, percipit
etiam haec Academia, cuius alumnis annuos reditus bis
mille florenorum accessione adauxit. Et haec omnia
tamen fontem liberalitatis augustae adeo non exhause-
runt, ut, post mortem largissimi Principis, decies septies
millena millia nummum in aerario Saxonico inuenie-
rentur. Cum sacris illis curis non minus iustitiae tu-
endae studium coniunxit, et opera praestantissimorum
eius temporis ICtorum, in hac et Lipsiensi Academia, ius
prouinciale Saxonicum in ordinem redegit, et codicis
illius Augustae fundamenta iecit, cuius, ad hunc usque
diem, non tantum in scholis forisque Saxonici, sed in
multis etiam exteris, maxima est auctoritas: ut adeo
religionis cura Theodosium, legum et iudiciorum e-
mendatione Iustinianum Saxoniae reddidisse, ac reprae-
sentasse uideatur.

Quemadmodum vero tanti Principis auspicio feliciter omnia succedebant, ita mors eius nouam rei sa-
crae et literariae calamitatem minabatur, cum praui
quidam consiliarii, nomine filii ac successoris eius, Chri-
stiani I, abusi, corruptelas, tanto labore electas, postli-
minio in Saxoniam reuocare studerent. Sed hanc quo-
que tempestatem, iam imminentem, depulerunt consilia
sapientissimi Principis, FRIDERICI VVILHELMI,

qui

qui, exeunte seculo post C. N. XVI, pro CHRISTIANO II. Electore, adhuc impubere, administrationem Saxonie suscepit, et tanta cum laude gessit, ut dum aliqua principum de republ. bene meritorum memoria supererit, nominis eius gloria obliterari nunquam possit. Hic, ut ipse erat eruditissimus, ita viros ingenio ac doctrina florentes magnis praemiis inuitatos, quasi gremio suo exceptit, et beneficiis obligauit. Eodem erga literas amore imbuit Principes agnatos, Elect. Christiani I filios, fidei ac tutelae suae commissos, Christianum II, Iohannem Georgium, et Augustum; quorum ultimus Academiae huic, titulo Rectoris magnificentissimi, aliquandiu praefuit, primus, ineunte superiore seculo, cum pubertatis annos attigisset, ipse Electoratus gubernationem suscepit, Princeps benignitate nulli secundus, et longiori vita dignissimus, qui diem, sine beneficio in alios collato transmissum, se perdidisse, existimabat, et ne uatem quidem tenui fortuna aspernabatur, neque aulae aditu prohibebat, et consimili ratione doctis omnibus, sicuti se dabant occasio, aequum se impertiebat, et ad subleuandas uitiae miseras ingenita quadam facilitate propensum.

Quod autem uiuendi, ac praeclarioris indies de republica merendi spatium Christiano II. natura denegauit, id tanto benignius concessit ac restituit fratri ac successori eius, IOHANNI GEORGIO, qui, periculosisimo reipublicae tempore, Saxoniam ab interitu seruauit, et cum longum atque difficile pro libertate bellum gessisset, id praemii tandem pro labore tulit, ut ditiones suas non modo pacatas, sed insigniter etiam amplificatas cerneret, et rerum praeclare gestarum gloria, in quieta et prospera senectute, perfrueretur.

Hic

Hic tantus Princeps in utraque fortuna literarum rationem habuit, easque rebus aduersis protexit, pacatis restituit, secundis ornauit. Testes eius curae superstites habemus tabulas donationum, et leges, post uisitatum semel iterumque hanc academiam, de singulorum in ea ordinum ac professorum finibus officiisque latae, quas, ut fundamen-tum administrationis suaे, ad hunc usque diem sancte seruat Ordo noster, et nullius temeritate partitur uiolari.

Nouum et singulare benignitatis erga literas exemplum praebuit, alterumque Saxoniae Augustum retulit IOHANNES GEORGIVS II, Princeps, rerum in toga gestarum gloria, immortalis, qui ut doctos et sapientes uiros, sacris praesertim literis deditos, maximi fecit, ita nihil, quod ad augenda bonarum artium ornamenta pertineret, facile praetermis sit. Experta est liberalitatem eius ipsa haec Academia, cui non modo insignes immunitates conces-sit, sed et patrimonium auxit, ac decem amplius millia nummum partim patribus eius, partim alu-mnis, ad uitium cultumque, elargitus est.

Nihil de Patris in literarum studia benignitate minuit, neque liberalitatis fontem clausit IO-HANNES GEORGIVS III, heros belli pacisque operibus insignis, et inter arma etiam, quae pro communis patriae salute cuperat, de tuendo Musarum flore sollicitus. Nam, ut alia nunc ea-ceam, exstat inter priuilegia Academiae nostrae diploma eius, cum praecepis facile comparan-


C dum,

dum, quo omnia et singula beneficia, a maioribus suis, ac speciatim a patre, et aeo, apud nos collocata, sigillatim repetit, et, non sine prolixa gratiae testificatione, confirmat. Neque ab illa uirtute et bene de literis merendi consuetudine deflexerunt filii, tanto Patre dignissimi, IOHANNES GEORGIVS IV, et FRIDERICVS AVGVSTVS, qui in hac ipsa Academia quondam formati, ac literis imbuti, constanter eam amarunt, idque, sicubi occasio tulit, re ipsa testati sunt. Et alter quidem, natu maior, in ipso conatu benigne faciendi ereptus, gloriam fratri amplificandam reliquit, qui natura sua benignus et facilis, et antequam regnum susciperet, dignus regno habitus, regium esse duxit benefacere, et beneficiis potius, quam metu, subditos deuincire. Hic igitur, pro uirtute sua, animique magnitudine, inter multas licet bellorum turbas, et deplorandas rerum conuersiones, nihil tamen literati ordinis honori, priuilegiis, ac immunitatis derraxit, quin eam Musis nostris tranquillitatem praestitit, ut utraque Saxoniae Academia semel atque iterum sacra secularia festo ritu celebrarit, et nostra potissimum gratiae regiae fructum ceperit, quando, ad solemnia illa rite peragenda, non modo luculentis muneribus cohonestata est, sed et Principem Iuuentutis Rectorem accepit, et sedecim amplius annis retinuit. Denique uel haec ipsa panegyris, haec praestantissimorum philosophiae candidatorum corona, haec doctissimorum uirorum, honoribus

ribus et praemiis doctrinae fauentium, frequentia
publicum felicitatis, qua Musae nostrae, Regis
et Nutritoris nostri clementissimi auspicio, fruuntur,
documentum praebet.

Haec dum animo colligimus, et nobiscum re-
putamus, tot illustrissimorum Principum uirtutes,
munificentiam, et beneficia in literas collata, quibus,
secundum DEVM immortalem, harum florem in
Saxonia, et speciatim in Academia nostra, de-
bemus, grata recordatione prosequimur; et, pro sua
quisque parte, celebramus, laudibusque in coelum
extollimus, utpote dignissima, quae, in illustri lo-
co posita, posteris exemplum praebeant, et cum
omnium seculorum memoria adaequentur. Faxit
DEVS immortalis, ut cum hac Principum Saxoni-
corum gloria literarum quoque felicitas perpetua
sit, nec ulla temporum iniuria minuatur, nulla ca-
ligine aut uetusitate obscuretur. Respiciat in primis
almam hanc Academiam, ut sub faustissimo He-
roum Saxoniorum regimine, tranquillitatem cum
dignitate retineat, et ex omni discrimine periculou-
que seruata, ingeniorum uberrate magis indies
efflorescat, arque adeo DEI recte casteque colendi
disciplinam, honesta uitiae instituta, et literarum or-
namenta ad omnem posteritatem feliciter

transmittat!



Et quod est in aliis dicitur deinde in aliis. Et quod est in aliis dicitur deinde in aliis.

Plag. A. col. 2 lin. 8 pro: *VValheimio*, leg. *VValdehimio*.

Plag. A. col. 2 lin. 3 pro: *VValheimio*, leg. *VValheimio*


ULB Halle
005 121 825

3



W078

Wilh. Foiger
Buchbinderei
Salzuflen, Dr. Ritterstr. 8



B.I.G.

Black

XXV.
1928 K 944

L 3, 27

27

IO ACADEMICA
DE
NCIPVM
SAXONIAE
N REM LITERARIAM
XXXI
RVM PHILOSOPHIAE
INVNCIATIONI
K. APR. A. 8 CCC XVIII
PRAEMISSA
GVILIELMO IANO
COLLEGII PHILOS. DECANO
WITEMBERGAE
VIDVAE GERDESIANAE

1779